

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Virginitas m cum uariis

Non fallit ueritas, non circumscribit iusticia, non decipit uirtus. Quod si non creditis oraculo, saltim credatis exemplo. Memoria nostra dudum puella nobilis seculo, nunc nobilior Deo cum urgeretur ad nuptias a parentibus et propinquis ad sacrosanctum altare confugit. Quo enim melius uirgo fugeret quam ubi sacrificium uirginitatis offertur, et caput omnium Christus cotidie consecratur? Stabat ad aram Dei pudoris hostia, uictima castitatis; nunc capiti dexteram sacerdotis imponens, precem poscens, que ait parentibus: Quid agitis uos propinqui? Quid exquirendis adhuc nuptiis sollicitatis animum? Iam dudum prouisas habeo. Sponsum offertis? Meliorem reperi. Quaslibet exagitate diuicias, nobilitatem iactate, potenciam predicate. Habeo enim cui nemo se comparat diuitem mundo, potentem imperio, nobilem celo. Si talem habetis, non refuto optionem; si non reperitis, non prouidetis michi parentes sed inuidetis.

Ambrosius de uirginitate libro II.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

saltim *om.* C; nostra] uestra B M P V¹ V² L¹ L²; Deo] Deae L²; fugeret] confugeret C P V¹ V² L¹ L²; aram Dei] arandi M; nunc] nuc M; dexteram] dextram P V¹ V² L¹; poscens] posteris C, a *add. (del. sub lin.)* C; agitis] agit L²; dudum] ad *add. (del. sub lin.)* C; prouisas] promissam V² L¹ L²; meliorem reperi] meliorem alias reperiri inueni P V¹, meliorem quam alias reperiri possit inueni V² L¹ L²; iactate] iacta C, iactare M; predicate] predicare M P V¹; comparat] comparare potest P V¹ V² L¹ L²